

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo VIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Regi Davidi nunciaret patrem suum cum tota familia paterna à Saule trucidatum esse, quia Davidi tulerat suppetias, David ipsum amicè accepit, dicens: *Ego in causa fui cur serviretur in omnes animas familia patris tui, i. e. propter me sunt interfecti tui: at mecum mane, ne time, nam qui querit vitam meam, querit vitam tuam, sed in custodia tu es apud me.* Q. d. Agnosco & scio, id ipsis contigisse meâ causâ, & sic reputo quasi mihi ipsi contigisset. Sic sanè res se habet cum omnibus veris Christi professoribus; quod ipsis à persecutoribus obvenit, id eapropter fit præcipuè, quia faciunt cum cœlesti suo Davide Jesu Christo, ejusque verbo & Evangelio, nomenque ejus profitentur.

Sic Ecclesia confitetur, cum (ut interpretes) sub Antiocho premebatur, *tuâ causâ occidimur totum diem, estimamur ut oves destinata maturationi*, Psal. 44: 23, id quod Rom. 8: 36. ab Apostolo reperitur de Ecclesia sui temporis; veris enim professoribus omni tempore idem ab iisdem inimicis expectandum. At nota, Apostolum post illa Triumphii verba (*Quis nos separabit à Charitate Christi, num oppressio, num angustia, num persecutio, &c.?*) idè demùm subjungere, *tuâ causâ occidimur, &c.*

2. Christiani vincula hæc & persecutiones patiuntur prout nominis Christi causâ, sic & operis Christi causâ, quia in ejus opere sunt; idè etiam Christo attribuuntur. Cùm olim Rex David mitteret nuncios ad filios Ammon, qui Regem consolarentur de morte Patris, tum duces Ammonitarum falso prætextu Regi persuaserunt, ut nuncios Davidis malè acceptos & contumeliâ affectos remitteret. At quicquid his nunciis factum, David sibimet factum reputat, & ardenti incensus irâ ulcisci constituit, &c: 2. Sam. 10: 1. seqq.

Sic se res habet cum Legatis & nunciis Jesu Christi: Jesus Christus eos ablegavit, ut opere ministerii Sancti coagmententur, Eph. 4: 11, 12. Non ipsi sese vocârunt, sed vocati à Deo, missi à Christo; illi à se & per se nihil faciunt Joh. 15. quicquid boni fit, id à Christo est. Verbum, quod annunciant, non est ipsorum verbum, sed Dei vivi, Hebr. 4. 1. Cor. 2. Sacramenta, quæ administrant, sunt Christi: gloria, quam quærunt, est Dei, non propria, 1. Cor. 10: 31. Spiritus, cujus virtute id præstant, est Dei, non mândi, nec proprius spiritus. Quicquid igitur ipsis obtingit hujus operis causâ, ut instrumentis Dei & J. Christi, id obtingit ei, qui ipsos vocavit & legavit.

Adeoquæ ut Moses & Aharon rectè Num. 16: 11. seqq. *Congregatis vos adversus Jehovam, Aharon verò quid est, quod murmuratis contra eum?* sic omnibus veris professoribus & præconibus licet dicere: *Quid nos sumus, quod contra nos sic insurgitis? &c: non contra nos, sed adversus Christum hoc agitis.* Sic Num. 12: 8. de Mose: Sic Deus ipse Samueli 1. Sam. 8. 7. *Non te spreverunt, sed spreverunt me.* Confer Ef. 5: 24. & 30: 8; 9: Luc. 10: 16. Joh. 13: 20.

Math. 25: 40. 1. Theff. 4: 8. Idem Nehemiæ probat exemplum. Is verfabatur in opere Domini, & eam ob causam multa patiebatur; sed vide cap. 4: 3, 4, 5. quomodo inimicis reputatur, ac si Deo ipsi id fecissent. Et hæc est secunda ratio, quia fideles hæc patiuntur propter opus & Evangelium J. C. idè ipsi Christo adscribuntur.

3. Vincula & persecutiones vocantur Christi, ob arctam unionem & communionem Christi cum suis Confessoribus. Christus est, qui Ecclesiam suam sibi desponsavit; sicut ergò ignominia & injuria sponsæ & uxori illata, sponsi & mariti est, & vice versa; sic se res habet isthic, idque ob arctam hanc unionem. 1. Cor. 11: 7. Uxor dicitur *gloria viri*; si uxor pia est & religiosa, maritus cum ea honoratur, & sic uxor marito est honor; sic etiam Ecclesia est *gloria Christi*, ut uxor *gloria viri*, 2. Cor. 8: 23. Quicquid ergo ignominie & injuriæ Ecclesiæ Christi fit, Christus sponsus sibi factum reputat.

Imò arctius adhuc unionis vinculum datur inter Christum & veros ipsius Confessores; Ille enim caput est, isti membra ejus; Christus & ipsius membra unum tantum constituunt Christum; sunt *caro ex carne ejus, & ossa ex ossibus ejus*, Eph. 1: 23. & 5: 30. Imò ipsa Ecclesia (id est membra) appellatur Christus, 1. Cor. 12: 12. Qui ergo aliter fieri potest, quàm ut membrorum injuria & afflictio sit ipsius capitis? Patientie aliquo ex membris, caput æquè patitur ac reliqua membra; & quod uni membro fit, toti corpori factum putatur: ita Ecclesiæ conditio, Christi conditio est.

Imò verò, Christus & fideles tam arctè uniti sunt, ut Christus sit in ipsis, & ipsi in Christo Joh. 14: 30. Brachium quidem existit in corpore, at corpus non in brachio; palmes est in vite, at non vitis in palmite; sed sancti sunt in Christo, & Christus etiam in ipsis. Vides rationes, quare Christianorum vincula & injuriæ ac persecutiones, ipsius Christi meritò dicantur.

SERMO VIII.

Textus Philem. v. 1. 2.

HÆC cùm ita sint, cùm vincula, &c. quibus affliguntur Christiani, ipsius Christi sint; meritò pudeant & terreatur omnes impii ofores & persecutores verorum Jesu Christi confessorum: eos intelligo,

1. Qui hætenus ipsi omni nisu Dei servis obstiterunt, eos spernendo, persequendo, quovis injuriarum & malorum genere afficiendo.

2. Qui gaudent & delectantur, cùm id ab aliis fieri vident, licet ipsi manus non admoveant.

3. Qui ea, quæ sic fidelibus obtingunt, palàm divulgant & cum voluptate quadam animi ebuccinant.

De 1. Perpendite locum Zeph. 2: 8, 10. & reperietis, quàm severè de Moab conqueratur:

3.
Simile.
Propter unionem
cum Christo.

Simile.

Applicatio.
Usus 1.
Terror variorum
Persecutorum.

3.
Quia propter opus
Christi.

Att.

Audivi opprobrium Moabitarum, quibus probris affecterint populum meum, &c. idcirco ego vivo, dictum Jehovah, &c. Moab tanquam Sodom erit, &c. : fuse subjungit, quam alperè eos ea propter sit tractaturus; id quod etiamnum hodie talibus dictum esto; *Terribilis erit Jehovah in vobis*, jam vobis vincula & opprobria vestris digna factis paravit, qui vinculis & opprobriis vexavistis Dei populum, ut sic ex talione & poena retributionis Jehovah, magnitudinem iniquitatis vestrae agnoscat. Sic Psalm. 59:6.7. horum peccatum exprimitur, quod *ganniant & allaveant fideles ut canes*: at v. 14. subjungitur poena, *Consume astu, consume donec non sint amplius, &c.* Ut ergo pios tractant, sic tractabuntur à Deo; id enim non illis, sed ipsi Christo Jesu faciunt, is omnia, quaecunque ipsis obveniunt, sic accipit, ac si sibi obvenissent, sive mala sint, sive solatia, sive persecutiones.

Prolepsis.

a. Sanè quidem Christus Jesus est in cœlis ad dextram Patris, ibi non amplius patitur; nec potest quidem: non amplius potest ligari, interfici. At sua membra adhucdum habet in histeris: quæ cum patiuntur ob nomen ejus & opus, ipse in iis patitur, perinde ut delectatur suis membris, quando illa ipsius nomine delectantur. Profitetur Christus, si quis vel *poculum frigida duntaxat dederit uni existis parvis, eum non perditurum mercedem suam*; sed perinde ac si ipsi Christo factum fuisset, æstimatum iri, Matth. 10:42. & 25:35. seqq. In me (inquit) hæc contulistis, &c.

Quid, quæso, præstiturus esses Christo, si præ oculis ipsum haberes egenum, nudum, captivum? num ipsum cibaes, vestires, visitares? Quidni, inquis, hæc præstarem; ipse namque est, à quo omnia habeo; non essem dignus qui viverem, si ipsum hoc modo viderem, nec reciperem. At verò quicquid præstas uni ex suis, id ipsi Christo præstabis. Sic è contrario, Quidquid vos molestiæ & injuriæ facitis iis, qui sunt preciosi in oculis Dei, qui tam arctè Christo connexi sunt tanquam ipsius membra; id non facitis illis solis (sicut vobiscum cogitare soletis: Sunt egeni, miseri, omni ope destituti, omnibusque sui ulciscendi viribus, &c.) non sic; sciatis, vobis cum ipso Christo esse negotium, ipsi hæc inferitur injuria: prout de Rablake dicitur Es. 37:23. quod non *Hiskiam, sed sanctum Israël* blasphemavit; sic quicquid veris Christianis facitis injuriarum, id Christo fit, *Os vestrum ipsi cœlo opponitis* Psalm. 73:9. Quando consultatis contra filios Dei in terris; quando acuitis linguas vestras contra eos, quando animis manibusque agitis contra eos; tunc vos opponitis ei, qui *ad dextram Dei in cœlis consistet*, qui gloria est & *effulgentia Patris* Heb. 1:3. ei, qui *Judex vester* futurus in die novissimo. Nam cum Saulus accepisset literas à sacerdotibus, ut in vincula conjiceret, quicumque Ejus nomen professi fuerint, puta nomen Christi, ecce mox è cœlo clamat Christus, non nudè,

Saul quare meos persequeris; eosque captivos ducis Ierolimam? sed, *Saul, Saul cur me persequeris?* Quod si hæc ejus vox continenter in cordibus & auribus vestris sonaret, à multis perverfis vos abstereret consiliis.

Si Christus hodièque his in terris inter nos versaretur, num quis vestrum tantà esset impietate, ut ipsum persequi, ligare, injuriâ & morte ipsâ afficere tentaret? quis non ad talem questionem quasi resliret, & cum *Haçacle* regeretur, *Quis sum servus tuus canis, ut faciam rem magnam hanc?* 2. Reg. 8:13. Imò num sic tractarem eum; à quo uno mea penderet salus? satius mihi esset nunquam esse natum, quam hæc perpetrare. Ne, quæso, fallat vel fallatur quisquam hac in parte: quod Christi membris vel minimis fit, id Christo fit, ut extat Matth. 10: & 25. Caveat ergo animus pius, ne horrendum hoc peccatum committat ullo modo, ne contra stimulum calcitret, neve hostem Christi sese exhibeat. Ah! quid reportares, si talis repereris *Ismæel*, quando Christus pro tribunali sedebit? Rideret consilia tua, Pf. 2: Prov. 1: Opprobrium & ignominia & poena te manerent in æternum.

b. Quin, inquis, nemo tam impius & infanus, qui sese Christo opponat, aut ejus membra persequatur propter pietatem & Evangelium! Minime, non ideo fit; sed propter ipsorum hypocrisin & alia peccata, sæpe specie simulationis ostentant quod non sunt; &c. Resp. Notum est, dilecti, quo modo persecutores primitivæ Ecclesiæ Christianos tractarint; eos nimirum prius pellibus ferarum insutos, demum feris objecerunt. Et sic Christianorum hostes etiamnum hodie procedunt, nolunt videri ii, qui Christum & fideles Evangelii causâ odio prosequantur, licet id ipsum sit odii ipsorum radix; sed involutos probris & falsis fidei que nominibus, eos adoriuntur & lacerant; alia Christianis induunt nomina; & sicut Pharisei Christum, virtute suâ & sancti Spiritus multa facientem miracula, dixerunt, *ejicere Diabolum per Beelzebub*; sic isti zelo & sanctis Christianorum motibus alia imponunt nomina, vocant *hypocrisin, Contrumaciam, Obstinationem, Perduellionem, &c.* & ubi talia ipsis inusserunt stigmata & indiderunt nomina odiosa, tunc scelerum, non autem Religionis causâ se eos insectari clamitant; sic fecit *Haman*: Mardocheum intimo atque acerbissimo persecutus odio, tamen zelum pro Rege prætendit, Mardocheum Regis hostem, & perduellem esse dicitans.

Sic *Amazïa* odit Amosum in corde, & tamen titulum rebellionis & conspirationis contra Regem prætendit. *Duces Darii* odio habuerunt Daniele, ipsi invidentes eminentiam; at ipsum accusant ac si contra Regis edictum egisset. *Jeremiam* odio persecutores habent propter fidelitatem in munere, sed sub nomine prodicionis, quasi staret à parte Chaldæorum.

Nota est Diabolica astutia, quam persecuto-

res perdidicerunt. Filios Dei, quos non propter peccata, sed *sine causa oderunt*, ut loquitur, David Psal. 59:3,4. & 7:5. imò potiùs ob professionem per ora hominum traducunt, & prætexunt, se ob peccata eorum id facere; cum tamen alios, qui in aperta vivunt impietate, intactos linquant, quamdiu pietatis sunt osiores. Hoc verò ideo faciunt, ut qui conscientia suæ luce clarescunt, falsis rumoribus sordidentur. Verùm bene sibi conscii istis non moventur, nec plus ponderis in alienis conviciis vident, quàm in suo ipsorum testimonio sentiunt. Manet ergo, omnes Christianorum persecutores odio Religionis agitari, sicque id fieri ipsi Christo, & proinde eos graviter peccare, & ex hac Doctrina terroris materiam ipsis apertè suppetere.

2.3. De 2. & 3. Etiam illi, qui delectantur persecutionibus, easque ut triumphum decantant, licet ipsi id non faciant, hinc terroris & pudoris habent argumentum. Demus sanè, te manum non adhibere: tamen tibi forsàn placet, si de persecutionibus inaudis, & sic odium tuum non obscurè declaras: Caritas enim his non delectatur 1. Cor. 13:6. & quod persecutores ipso facto, id tu assensu & applausu approbas; arque adeò te hostem Christi æquè ac ipsi ostendis. Apostolus 1. Tim. 3, 11. mulieres non vult esse διαβόλους; idem de viris & omnibus hominibus dicendum, eos tales esse, qui Diaboli opus peragant sic procedendo.

U s u s II.
Christus plurimis hodie persecutionibus premittitur: ideo istæ honoris ducendæ.

II. Si porrò verorum Christianorum vincula & persecutiones sunt Christi ipsius, insuper consequitur, angustias, persecutiones & vincula Jesu Christi hodie esse frequentissima omnium in terris, siquidem membra ejus passim hoc tempore persecutionibus premuntur & odio, & nihil non adversus eadem tentatur: imò etiam illud consequitur, si Christi sint, ea à nobis honorifica, & gloriosa, non igominiosa, esse æstimanda, ubi ubi nobis obtingant; rectè de iis judicandum, velut de insigni caractere Jesu Christi & suorum; preciosos quinetiam & eximios habendos eos, qui digni fuerint habiti, qui glorificent Jesum Christum suo etiam sanguine. Sic Apostolus docet Phil. 1:29. ubi connectit & fidem in Jesum Christum, & passiones pro eodem, indigitans, unum æquè esse excelens Dei donum ac alterum; multum certè, in Christum credere, magna gloria Joh. 1:12, nec enim fides est omnium: at majus est, pro Christo & ejus fide pati.

Carceres certè illustres sunt coram Deo instar Palatiorum regalium; Vincula maximo sunt ornamento instar aureorum monilium, quibus gloriosi incedunt mundani; manicæ & compedes ferreæ, quibus fideles arctè adstringuntur, sunt falces laureati, preciosiores coram Deo quibusvis ornamentis, quibus delectantur Augusti. Hinc pii Martyres in locis supplicii magnificè sæpe de cruce fuerunt gloriati; imò verò serìo exosculati etiam palum, cui erant affixi; & catenas, quibus ligati; ignemque & lignum, quibus

cincti; idque sic potuerunt, quia omnia non ob flagitia, sed ob Christi nomen perpassi sunt.

Videmus, quanto fastu & apparatu turgidè vani incedant hujus seculi homines, ut in honore & precio habeantur. Notum exemplum Herodis Act. 12:21. qui regià indutus veste, insolenter sese ostentavit, coruscus instar solis, sicque orationem ad populum habuit, ipsi acclamantem, *Vox Dei, non hominum*. Joseph. Antiq. Jud. 1:29. c.7. Externa hæc pompa & superbia certè non est nota & insigne verorum Christianorum, quò internoscantur; servus enim ex Domini sui colore diagnostico notatur: sic servi Jesu Christi ex sanguine, carenis, persecutionibus, ut sæpè innuit Apostolus ut Gal. 6:17. 1. Cor. 4:9, 11, 12, 13. 2. Cor. 6:4, 5. & 11:23, 30. Hæc (inquam) sunt stigmata & characteres, quibus gloriantur, quorum etiam eos non magis pudet, quàm militem vulnerum. Si quis in bello & certamine pro patria oculum, manum, vel pedem amittit, id ostentat, nullo cum pudore, sed gloriatione; quidni ergo & nos non dedecori, sed gloriæ ducamus ostentationem stigmatum Jesu Christi, ducis nostri, quæ sub bro ejus vexillo decertantes accepimus? Imò id longè gloriosissimum, quicquid judicet mundus.

Si vincula & persecutiones Christianorum, quas propter Christum patiuntur, sunt Christi; colligimus, non nudas passiones, supplicia & vincula hic intelligenda, sed ea solum, quæ Christi nomine infliguntur; non supplicium, sed causa facit Martyrem; Apostolus enim non simpliciter se vocat *vinctum*, sed *vinctum Jesu Christi*. Nemo ex vobis, inquit Petrus 1. Pet. 4:15. affligatur ut homicida, aut fur, &c. sed, ut Christianus. Equidem sæpe idem supplicium externâ specie obtingit pio & impio; & impii sæpe ligantur, carceribus includuntur, igne feròve interficiuntur æquè ac pii; at ut ut idem sit supplicii genus, non tamen eadem ejus causa. Causa supplicii in impiis est impietas, in piis verò bona conscientia: illis ad destructionem & interitum, his verò ad correctionem & explorationem.

Abel à fratre occisus, Cain sub maledictione positus & fugitivus in orbe, ambo passi sunt, sed causâ dissimili. Ille ob sacrificia, hic ob fratricidium. Joseph conjicitur in carcerem & cum ipso in eodem carcere erant Pharaonis pincerna & coquus, sed dispari causâ. Gen. 40: Ille innocens & falsò ab impudica hera delatus; hi ob facinora fontes. Christus cruci affigitur: cruci etiam affiguntur duo Larrones. At quanta differentia! quàm dispar ratio! Id alter illorum ingenuè confessus est, Luc. 23:5. Idèò probè inter passiones distinguendum; non quævis passio facit martyrem, sed causa bona, & ob bonam causam iniquum supplicium. Impii ad supplicium ob flagitia rapti murmurant, obstrepunt, pavent, timent, concuriuntur; non sic pii, sed prompto animo se subjiciunt, Deoq; fido Creatori, animas commendant, 1. Pet. 4: vult.

U s u s.
III.
Causa, non supplicium, facit Martyrem.

ult. Impii dentibus frendunt in afflictionibus & suppliciis, Apoc. 16:8,9,10,11. atque blasphemant; sed pii non sic, benedicunt maledicentibus, Job. 1:21. Matth. 5. Adèd ut obvenire possint ejusdem generis supplicia pio & impio, dispari interim sorte & exitu, sicut dispares ipsi; & causa ipsorum; prout Aug. eleganter de C. D. l. 1. c. 8. *Idem, inquit, saepe instrumentum adhibet medicus ex amore in agrum, quod hostis arripit ex odio & animo nocendi.*

Vis ergo genuinos Jesu Christi dignoscere Martyres? Ne respice tantum supplicia, sed causam & circumstantias: dantur Martyres hominum; dantur etiam Martyres Diaboli, eos dico, qui ab ipso captivi ducuntur, & ob flagitia variè vexantur: qui verò cupit vocari Christi Martyr, sit Christi vincus oportet, & ei devinctus pià vità, ut Apostolus noster.

Hoc tenendum contra vincos Antichristi in Ecclesia Romana, qui de multis Martyribus gloriantur, ut olim Donatistæ, iisque Fastos suos replent, quos cæli candidatos, & (ut loquuntur) Canonizatos, rubris literis designant, cum tamen saepe multi antea in terris fuerint homicidæ, proditores, Regicidæ, &c. flammis rubris tartari transcripti. Alii forsitan nunquam in terris fuere, vel si in terris vixerunt, Jesum Christum forte nesciverunt, multò minus pro ejus nomine & fide passi sunt. De hisce optimè Cyprian, de simpl. Præl. *Ardeant licet flammis, &c. non erit illa fidei corona, sed pœna perfidia; non religiosa virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus.* Et Aug. *Vos patimini non propter Christum, sed contra Christum; persecutionem patimini non à nobis, sed à factis vestris.* Et alibi: *Quid laudas pœnam, at non ostendis causam?*

IV. Si ita est, si vincula & persecutiones Christianorum sunt Christi ipsius; si Christus omnia, quæ suis suâ causâ obtingunt, sibi facta reputat ex cordis affectu & commiseratione erga afflictos; agedum eodem simus & nos erga illum animo ex sensu amoris in ipsum. Christus adhucdum multa patitur in hoc mundo: non tantum ipse passus est, dum esset in his terris, & in suis membris sæpius; sed adhucdum affligitur & patitur, si doctrina Evangelii ejus spernitur, si lux salutis obscuratur, via ejus negligitur, præcepta ejus odio habentur, sanguisque effusus parvi penditur & conculcatur, Hebr. 6: & quævis scelerata voluptas illis anteponitur: si Spiritus ejus motiones extinguuntur, &c. tum Christus patitur. Proinde talia magis animum visceraque tua afficiant, quòd caput tuum Jesus Christus tam malè ab impiis tractatur, quàm cum ipse affligeris. Plus certè est, si faciem tuam quis conspuat, & cæno conspurcet, quàm si pedem: Jesus Christus est caput & gloriosa Ecclesie facies; ideo atrocius erit, commaculasse & coinquinasse ipsum, quàm ipsius membra. Hoc si agnoscas; si ex his ipsis

dolorem sentias internum, certum veri Christiani reperies signum & *σημείον.*

Tunc autem de eo certus eris, & apertum facies, te sentire bono cordis affectu ea, quæ etiamnum hodie Christo infliguntur:

α. Si inflammatur & incenditur Spiritus tuus contra ejusmodi impietatem; si te non contines, quisquis tandem ille sit, qui se Christo opponit. *Oecolampadius* optimè olim ad Collegas suas; *Ardeat zelus noster non si contumeliâ afficimur nos, sed si Christi veritas in periculo est, & nomen Dei blasphematur.* Notum Regis Cræsi filii factum: is, cum videret quendam Patri Cræso verbera intentantem, tanto tamque vehementi commovebatur animi affectu, ut linguæ ejus, alioqui mutæ, ligaturâ diruptâ, altum inclamaverit, ceu novus ex muto orator: *Cave occidas Regem.* Sic etsi muti fuerimus per totam vitam, etsi muti etiam quoad nos; proficiat tamen ac cum vehementia erumpat zelus, cum videmus Regem nostrum Jesum Christum, æternitatis Patrem, contumeliis lacerari aut sperni, & ejus Evangelium probro affici.

β. Si omni, quâ fieri potest ope atq; operâ eniteris, ut impedias, quicquid Christo & Evangelio obest, quicquid etiam damni inde tibi expectandum. Aureum candidi pectoris *Ambrosii* effatum; *Utinam sanguine meo proprio sitim omnium sanguinolentorum hostium Ecclesie sedare possem!* Promptus erat ad se ipsum immolandum & omnia sua impendendum: si modò inde Ecclesia minùs esset afflicta. Similiter *Nazianzenus* ex *sona*; *Εἰ ὑμῶν διαπίστεως αἴτιος, οὐκ εἰμὶ στυγνότερος ἰωνῶν τῶ περιφήτων, εὐάδετέ με εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ πῶσεται ἀφ' ὑμῶν ὁ κλύδων τῆ λαρχῶν.* Interim ne simus temerarii, & audaces; sed ubi Deus nos ad id vocat vel extraordinariè, vel ordinariè.

γ. Si ex omnibus, quæ possides, temporariis bonis, divitiis, honoribus, amicis, &c. nullam ampliùs voluptatem capis, quando Christus & Ecclesia patiuntur; hoc enim modo demonstras Christum præ omnibus tibi cordi esse. Si verè & ex animo dicere potes: Succedunt mihi quidem omnia ex animi sententia; nihil deficit ex bonis terrenis; verùm hæc omnia nihil me delectant, quamdiu Christus & Ecclesia patiuntur. Sic nurus Heli oppressa angustiâ partus, imò & in mortis constituta agone, cum intellexisset Israël cladem, maximè verò quòd amissa esset Arca fœderis, sui quasi oblita, altum ingemuit cladi Ecclesie, dicens: *Emigravit gloria Israël:* & licet eam solarentur nato filio, tamen illud suum I C A B O D ingeminar, & extremum vitæ edit spiritum, 1. Sam. 4: 19. seqq. Idem fuit Davidi Regi animus, qui quietè vivens, & Arcam negligi animadvertens, dixit Nathani Prophetæ, *Ego habito in domo cedrina, & arca Dei habitaret sub pellibus?* 2. Sam. 7: 2.

V. Tandem ex hac doctrina, tanquam ex limpidiſſimo fonte, rivuli dulciſſimi profluunt abun-

Signa Christianæ sympathie.

U s u s.
IV.
Communem cum piis dolorem capere debemus.

U s u s V.
Felices afflicti propter Christum.

abundè omnibus piis Jesu Christi professoribus, qui sic ex voluntate Dei aliquid Christi & Evangelii causâ patiuntur. Bono hi sint animo, quia vincula sua & persecutiones audiunt etiam esse Christi Jesu. Subdito quippe solatio est, si dicere queat: Quæcunque patior, etiam patiuntur mei præpositi & Magistratus: consortes ipsi sunt afflictionum mearum; sic hîc juvat miserum dicere posse, Consortem passionum habeo Dominum meum Jesum Christum: quicquid mihi obvenit, reputabit ac si sibi obvenisset. Hæc nimirum eos manent consolationes:

1. Quòd Christus vincula & persecutiones, quas pro ipsius nomine patiuntur, videt & animadvertit. Hocce solabatur Psaltem Psalm. 69: 19, 20. Si affligeris propter amicum absentem, sæpe ingemiscis dicendo, O si carus ille meus nôsset amicus, quæ suâ causâ patior, certè *συμπάθεια* ejus mitigaret dolores, &c. Hic verò non tantum certus es, fidelissimum Dilectum tuum molestias & afflictiones, quas pro ipso sustines, habere perspectissimas, sed sentire tanquam sibi ipsi illatas. Cave ergo dicas, Tot & tanta patior, & nemo est qui animadvertat; imò ipse *ponit lacrymas in ure suo, in numeratoeis suis*. Plal. 56: 9.

2. Si quæ Christianis obveniunt, Christo ipsi obvenisse putandum; agnoscas ad solatium tuum in quavis miseria, ea, quæ pateris, non evenire fortuito, sed destinata à Deo & ordinata esse à jacto mundi fundamento; & quod Act. 2: 23. dicitur de passionibus Christi, i. e. personæ Christi, id etiam dici potest de hisce tuis, de quibus nobis sermo, passionibus, adeò ut mundus non prout proposuit, sed prout Deus disposuit, fideles persequi possit.

3. Non erunt insuper afflictî sine commiseratione aliorum, quia propter Christum patiuntur. Acerbum sanè, in miseria esse, & neminem videre, qui misericordiâ commoveatur: hoc quippe aculeum addit miseriæ, ut Jobus de se, Jeremias de Jerosolyma desolata, conqueruntur, & in Christo patiente manifestum est.

Hic verò, qui ob Christi nomen patiuntur, sentiunt ipsius Christi commiserationes, siquidem sunt de carne ipsius. *Cum inimici*, ait Aug. *sponsa pedes calcarent, caput sentiens exclamat* in Act. 9: 4. Si hodie auribus percipimus vexationes piorum alibi degentium, quorquor inter nos sunt viva Christi membra, eas sentiunt per *συμπάθειαν*, & animi eorum excruciantur. Si membra ita inter se affecta sunt, quantum potius caput in membra, utpote quod omnia videt & sentit?

4. Si vincula, &c. Christianorum, sunt Christi ipsius, etiam pios inde manet solatium. Certum hinc habent amoris Christi pignus; non enim (ut plurimi sinistrè concludunt) signa sunt odii aut neglectiois Dei. Si Deus (inquiunt) me amaret, non tam multa paterer. Non sic; Passiones Christi optimè consistere poterant cum dilectione Patris; quidni & passio-

nes fidelium consistenter cum ejusdem dilectione in Christo? Quin potius, *quia nos diligit, castigat, &c.* Hebr. 12: 6. &c.

5. Ad hæc certi fumus, vincula & quaslibet afflictiones, quas propter Christum perterimus, etiam per Christum sanctificari, nosque ipsi artius coagmentare, atque sic saluti nostræ conducere, ut extat Rom. 8.

6. Hoc etiam in tali casu nos manebit Solatium, quòd ipse non sinet nos crucis onere opprimi; ipse enim portabit ex ea parte, quâ onus est gravius, cum sit ipse onus: ut ut ergo nobis debiles humeri, ipsi tamen sunt satis firmi; ad passionibus enim nobis conferet robur suum. Bono igitur esto animo, si auget onus, adaugebit etiam robur & vires ad sustinendum: & ubi jam jam censeres, te non amplius esse ferendo, tecum cogita: D. J. Christus onus peccatorum meorum suscepit, 2. Cor. 5: 21. & *sursum tulit super lignum*, 1. Pet. 2: 24. Onus longè gravissimum, & omnium malorum superpondium; & cur me jam desereret, qui pro ipsius nomine afflictionum jugo premor? Hæc duo sunt piorum gravamina, *peccata & afflictiones*, at ecce Christus prius sustulit, posterius mitigavit.

7. Id insuper accedit, quòd in hisce nostris pro Christi nomine afflictionibus liberum habeamus ad Deum accessum, & *παρηγορίαν* dicendum cum Mose; *Domine de tuo agitur nomine, si populum hunc abjicis, quid de tuo nomine? Non de nostro nomine res agitur, etsi nostrum multa millia occiderentur, Tuâ enim causâ occidimur*, Rom. 8: 36. Imò etsi non amplius possemus orare, si tamen nostræ passionibus sint Christi, ipsæmet erunt oratio valida & clamor ad Patrem, & certò exaudientur, quia nostræ passionibus ipsius sunt.

8. Si nostræ afflictiones sunt Christi, consequitur, eas non in æternum duraturas, aliàs Christus nunquam pari cessaret, dum nos pateremur: dum patiuntur membra, unâ patitur ipse, qui caput; ideo certum est, affore tempus, quòd, ut jam cum ipso patimur, sic cum ipso glorificabimur. Confer Rom. 5: 29. 2. Tim: 2: 11, 12. 1. Pet. 4: 12, 13.

En solatia! At ad eos demum pertinent, qui sunt *vinci Jesu Christi*, quorum passionibus & ignominia, Christi est, ut Hebr. 11. Unde autem, inquis, sciam ego, passionibus & afflictionibus meas, esse Christi passionibus? Audi breviter.

a. Si afflictiones tuæ tibi inferuntur ab iis, qui, quoad gregalis ipsorum fuisti in impietate & flagitiis, te amabant, jam verò te oderunt à se dissentientem & cum Christo facientem: adeò ut te jam persequantur non ob malitiam tuam, sed quia membrum Christi factus, nomen ejus & gloriam quæris.

b. Si sub afflictionibus amore Christi captus, in ejus voluntate acquiescis; non autem obmurmuras, aut irasceris instrumentis, sed te penitus illius arbitrio submittis,

Characteres afflictionum Christi causâ perlatarum.

c. Si continenter ad perferendas afflictiones tuas, regulam sumis ex libro Dei; hoc cognitum habens, sic patiendum esse ex Christi voluntate.

d. Si identidem hanc illamve arripis promissionem, è verbo Dei, quæ passionibus tuis appositè respondeat: quales quidem frequenter occurrunt.

e. Si in afflictionibus tuis collimas ad Dei gloriam, & nihil quæris, nisi veritatis Christi per afflictiones manifestationem, unà cum libertate bonæ conscientiæ.

f. Si te magis afficiunt & contristant ea, quæ in Christi ipsius ignominiam, quàm quæ tui vendendi causâ fiunt.

g. Si denique quàm maximè caves, ne ullo modo Jesu Christo ignominiam aut dolorem ipse inferas, vel, ut ab aliis inferatur, in causâ sis, ad eò ut nullâ ratione tuâ causâ nomen ejus blasphemetur, Rom. 2: 24.

Et, si hæc & alia ejusmodi in temet ipso sentis, manebunt te modò dictæ consolationes, & aliæ complures, eæque ineffabiles, quarum apicem vide 2. Thess. 5: 6. seqq.

SERMO IX.

Textus, Philem. v. 1.

Καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφός.

Versamur adhucdum in ipso vestibulo & Introitu hujus Epistolæ, qui, tribus primis versibus comprehensus, continet

Inscriptionem
Salutationem
Gratulationem.

In Inscriptione declarantur & describuntur persona, tum eæ, quæ Epistolam hanc scripserunt, & de ea mittenda consenserunt; tum eæ, ad quas scripta est & missa.

a. Paulus prima est persona quæ scripsit, qui hic appellatur Vincetus Jesu Christi: de cujus nomine, conditione, & causa conditionis hætenus.

b. Timotheus, secunda persona scribens, sequitur in textu, qui describitur ab adjuncto relato, quòd sit Frater: ἀδελφός.

Timothei
laudatio.

De Timotheo multa præclara extant in Scripturis. Nomini ejus responder omen & res ipsa. Timotheus significat Honorantem Deum, seu preciosum Deo. Talis erat reverà: nam 2. Tim. 3: 14. 15. &c. Parentum ipsius fit mentio Act. 16: 1. Erat filius mulieris Judææ, & filius Græci Paris: fidelis erat ipsius mater Eunice; nec ea sola, sed & avia Lois, ut 2. Tim. 1: 5.

Hæc certè successio in fide longè preciosissima existit & nobilissima; quando dicere licet: Pater & mater; avus & avia, præavus, abavus &

maiores retrò omnes erant fideles; nec liberi & nepotes degenerarunt à fide, sunt enim hæredes non regni caduci, sed talis Regni, quod ἀμείωτον 1ov. Quin omnes pii & sincerè fideles parentes omnem dant operam, ut liberos suos etiam ad eam fidem, cujus suavitate fruuntur, perducant, & omnibus modis promoveant. Id agunt, ut liberi sui non sui tantum, sed & Dei filii vocari possint: id quod fit, si credunt in nomen Filii, Joh. 1: 12. Qualem curam videre licet in Abrahamo, Gen. 18: 19. Davide, 1. Chron. 28. 9. & in majoribus Timothei hoc loco.

Hunc Timotheum (quem Paulus aliàs vocavit Adjuvorem suum, Rom. 16: 21. Filium carissimum & fidelem in Domino, 1. Cor. 4: 17. hic suum Fratrem) sibi adjungit socium in hujus Epistolæ inscriptione, illamque etiam sub ejus nomine mitti vult, ut sic demonstrat, non se solum sic deprecari pro Onesimo, sed & fratrem dilectum Timotheum, qui famæ celebritate notus erat in Ecclesia Dei. Erant quidem Pauli verba sufficientia in se: veruntamen multum juvat, si illi, qui eodem funguntur munere, concordant, & pro re nata conjunctis viribus concordant; ægrè enim denegatur, quod à talibus fervidis & fidis etiam atque etiam petitur, ut à collegis ac fratribus. Et hæc est causa, quare Apostolus hic etiam Timothei fratris faciat mentionem, ut hoc negotium utriusque nomine auctoretur, &c. Cajet.

Cur Timotheus Pauli adjungatur.

Neque hic solum sic agit Paulus, sed & alibi. 1. Cor. 1: 1. sibi adjungit Sosthenem: Paulus Apostolus, & Sosthenes Frater. 2. Cor. 1: 1. Timotheum. In Ep. ad Gal. eos fratres omnes, quos tunc secum Romæ habebat, Gal. 1: 2. In Ep. ad Philip. rursus sibi adjungit Timotheum, Phil. 1: 1. ut etiam in Ep. ad Col. In Ep. ad Thess. adjungit sibi Sylvanum & Timotheum, 1. Thess. 1: 1. Vide & Act. 15: 36. seqq. Sic etiam hoc loco assumit Timotheum in hoc negotio, & quidem ob jam dictam causam, ut eò certius & citius vinceret Philemonem, & exoraret facilius: Duo enim plus valent quàm unus.

Δ. Ex hoc D. Apostoli Pauli exemplo, quod in omnibus fermè Epistolis proponitur, videmus & edocemur; Si propositum sit nobis, aliquid boni effectum dare, facilius semper nos scopum assecuturos, si fratres nobis adjungamus laboris socios, qui manus adhibeant auxiliatrices, quàm si laboremus soli.

Duo beatiores uno, Eccl. 4: 9, 12. Duo aptiores ad negotium quodque gerendum & exantlandum uno: Imò si isti duo sint concordēs & consentientes, eodem animo affecti & zelo, ad eundem collimantes scopum, ut Paulus & Timotheus, plus efficiunt & obtinent, quàm unus solus. Christus Apostolos emisit duodecim, Matth. 10. messe verò crescente addidit LXX. Luc. 10: 1. misitque semper binos in urbes & vicos, quòd venire ipse constituerat, sine dubio ideo, ut quod ad vitam & doctrinam attinet, eò felicior ipsis

DOCTRINA.
Rem bonam felicius perficimus cum aliis, quàm soli.

Probatur. Testimonii & exemplis.